

DE MORT E.

Sed à feris consumentur, maximē si fuerint infortunæ cum stellis imaginum ferarum rapacium, uolatilium prædantium nec fortunarum aliqua testificetur, sed sub terra existant. Si autem fortunæ testificatae fuerint, sepelietur, & cooperietur terra. Similiter quando domini locorum interficientium fuerint in locis inclinatis, hoc est in locis itinerum, & ijs quæ aspiciunt ea quadrato, uel opposito, id est in quatuor locis cardentibus, morietur exterris patria, & amicis suis. Si uero extra hæc loca fuerint, in ter propinquos, & in terra sua morietur. Hæc Ptolemæus.

Aliorum sententiae & aphorismi,

	Octauam domum.
	Dominum eius.
Pro morte	Partem mortis.
considera	Dominum eius.
	Almuten significatorum mortis:
	Primum dominum triplicitatis octauæ domus.



N F O R T V N A impedita in gradu octauæ domus, non in domicilio, uel exaltatione sua, nec alicui fortunæ iuncta per corpus uel aspectum, significat malam mortem. Malicia tamen remittetur, si infortunium uel impedimentum infortunæ fuerit remissum.

Infortuna in octaua existens, si à fortuna recipitur, quæ sit domina ascendentis, significat quod natus erit occasio suæ mortis. Si dicitur infortuna fuerit aspecta à planeta forti, & benefico, qui non fuerit dominus ascendentis, remittetur mala dispositio mortis. Si autem dictus recipiens fuerit dominus ascendentis, maximē si infortunatus fuerit, natus erit causa suæ interfectionis mala, & uituperabili morte.

Infortunali fuerit in gradu octauæ domus retrograda, & fuerit dictus gradus octauæ domus eius domicilium uel exaltatio, fueritq; dominus ascendentis, lumine conditionarium, infortunatum, & applicet dictæ infortunæ quadrato, uel opposito, significat malam & turpem mortem.

Fortuna fortis in gradu octauæ domus corporaliter, uel si ex medietate orbis sui gradum octauæ domus beneuole aspicerit, etiam si debilis fuerit influxus talis fortunæ, attamen remouet malam mortem. Si autem talis fortuna remota fuerit à gradu cupidis ultra medietatem sui orbis, non remouet.

Fortuna si fuerit dominus domus, uel exaltationis octauæ domus non infortunata, bonam significat mortem.

Si fuerit gradus octauæ domus per corpus, uel radios fortunæ fortunatus, non potest finire uitam mala morte natus, etiam si Almuten mortis esset infortunatus. Sed stante mala dispositione Almuten mortis, poterit gradus octauæ domus infortunari per aspectus malos infortuniarum, & sic poterit in fluxus fortunæ ibi existentis remitti, ita quod dubium erit de bona morte.

Infortuna non in ipso gradu octauæ domus, sed irradians eū gradum per medietatem sui orbis accedendo ad eum per motum diurnum, malam significat mortem.

Planeta in ipso gradu octauæ domus per corpus, aut per dimidium orbis sui uerminis, præponitur ipsi Almuten mortis.

Si neq; fortuna neq; infortuna in gradu octauæ domus fueris reperta. Vide tunc si Mars habuerit dignitatem in domo mortis, per domum uel exaltationem, & fuerit peregrinus, uel male dispositus in duodecima domo, & dominus ascendentis peregrinus, iunctus corporaliter Saturno, deinde uadens ad coniunctionem corporalem